

bum transscribi et transsumpti fecimus pro eisdem ad cautelam. Datum in Vyssegrad feria quinta proxima ante Dominicam reminiscere. Anno Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo septimo.

Orig. membr. in Archivio Regni Croatiae. Priv. Nro. 6.

XCIX.

Anno 1362. Zagrabiae.

Transsumptum privilegii hospitibus in oppido Pernja (nunc in banali confinio) a Bela, juniore Rege, a. 1225 concessi, a Capitulo Zagrabiensi a. 1362 factum.

Nos Capitulum ecclesie Zagrabiensis memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit vniuersis. Quod anno domini M^oCCC^olx^o secundo, feria quarta proxima post dominicam Oculi, Georgius filius Wlchk, villicus, Wlk filius Petyne, Tuxa filius Marenii, et Chernech filius Gerdine, hospites de Pernya, ad nostram personaliter accedentes presenciam, exhibuerunt et presenterunt nobis quasdam litteras priuilegiales felicitis recordacionis serenissimi principis domini Bele condam regis Hungarie, tenoris infrascripti; petentes nos cum instancia, vt tenorem earundem de verbo ad verbum transscribi, et presentibus inseri facere dignaremur; quorum nos petitionibus, vtpote iustis et congruis, annuentes, tenorem earundem de verbo ad verbum transscribi, et appensione nostri sigilli autentici, fecimus consignari, quarum tenor sequitur et est talis: In nomine sancte Trinitatis et indiuidue vnitatis. Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Galicie, Rame, Seruie, Lodomerieque Regis Andree primogenitus, et Rex in perpetuum. Cum de beneuolencia ac predestinatione supremi Regis ad hoc simus preordinati, vt singulis in iurisdiccione nostra constitutis simus secundum apostolum in iusticia debitores, propensius et specialius hospites, qui nostrum sibi senserint subsidium profuturum, debita volumus iusticia protueri. Hinc est, quod nos tam presencium, quam futurorum volumus noticie declarare, quod hospitibus nostris de Perina (sic) commorantibus, talem hoc modo concessimus libertatem, vt per septem annos in nullo nobis teneantur, nec forum, quod ibi celebratur, per septennium tributum persoluat; transactis vero annis, annuatim centum pensas Regie persoluant maiestati, uel dexterarium, tot pensis valentem, tributum autem fori tertia pars, maiori eiusdem ville spectet iurisdiccioni, quicumque fuerit, residuas autem partes Regie celsitudini debet administrari; nec aliquis ipsos preter defensorem ipsorum, a domino Rege statutum, audeat iudicare, et si ab ipsorum defensore conquerentibus satisfieri non poterit, ad domini Regis presenciam dicta causa discutienda transferatur, et si ipsi coram iudice quemquam inpeterent super aliquo, eis iudicetur iuramentum. Statuimus eciam, quod si Banus eis ad valorem vnus marce dampnum fecerit,